



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Historiae Ecclesiasticae Pars ...

Historiae Ecclesiasticae Pars Tertia, Qva Continentvr Hermiae Sozomeni
Salaminij lib. 9. Euagrij Scholastici Epiphanensis lib. 6

Christopherson, John

[Köln], 1569

De calamitatibus quæ paßim occurrebant. Caput VIII.

urn:nbn:de:hbz:466:1-12718

E V A G R . H I S T O R .

instituiamus, & gratiam nobis donatam neuiquam deprauamus. Verum ne pluribus commemorandis sim longior, reuertar eò, vnde deflexit oratio.

De calamitatibus quæ passim occurrebant.

Caput VIII.

Iustino adhuc imperium administrante, oppidum, quod iam Dyrrachium, olim Epidamnus appellatum fuit, terræ motu grauius concussa est. Similiter & Corinthus, quæ est in Græcia sita. Adde his Anazarbum, urbem minoris Ciliciæ primariâ, quæ iam quartò illud cladis genus pertulerat. Quas vrbes Iustinus magna pecuniæ summa suppeditata, refecit. Eisdem temporibus Edessa vrbs Osroenorum amplissima, & beata in primis, vndis scirti torrentis præterlabētis sic obruebatur, vt multa ædificia aquæ impetu abriperentur, & infinita hominū multitudo, quos flumen secum auexerat, interirent. Edessa igitur & Anazarbus ab ipso Iustino noua nomina accepere, & vtraque vrbs Iustinopolis appellata est.

Quod Iustinus adhuc viuens, Iustinianum qui simul cum ipso regnaret asciuit.

Caput IX.

Cum Iustinus octo annos, menses nouem, & dies tres regnasset, Iustinianum sororis filium sibi in societate imperij gerendi asciuit. Qui imperator declaratus fuit primo die mensis Xanthici, id est, Calend. Aprilis, anno quingentesimo, septuagesimo quinto post nomen Antiochiæ impositum. His ita constitutis, Iustinus supremum vitæ diem obiens, ex isto migravit imperio, primo die mensis Loij, id est, Calendis Augusti, qui vna cum Iustiniano menses regnauit quatuor. Torum autem regni sui tempus nouem annos intergnos, & tres dies complexum est. Cum autem Iustinianus iam solus totius imperij gubernacula teneret, & Chalcedonenſe conciliū passim per oēs sanctissimas ecclesias mandato Iustini, sicut ante à me demonstratum est, prædicaretur, adhuc sta-
tus ec-